

nistrum sacramenti agere in persona totius Ecclesiae, et in verbis formæ exprimere intentionem Ecclesiae, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimitur. Quæ verba sunt obscurissima et destruere videntur totam doctrinam datam; indicat enim D. Thomas, etiam si desit interior intentio ministri faciendi sacramentum, si tamen exterius materiam et formam sine ullo defectu applicet, vere fieri sacramentum ex intentione Ecclesiae, quod est aperte contra sensum supra expositum, et contra veram et sanam doctrinam, ut postea videbimus. Quare necessario admittenda est pia interpretatio Cajetani, scilicet, illa verba (intentio Ecclesiae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimitur) non esse intelligenda de perfectione seu veritate sacramenti in re ipsa, sed in humana existimatione et certitudine, ac si diceret, hoc satis esse, ut sacramentum censeatur esse perfectum, et humana quadam certitudine tale reputetur, quamdiu minister defectum suæ intentionis exterius non expresserit. Ut hoc modo solutio respondeat argumento, cuius difficultas erat, quod veritas sacramentorum nobis esset incerta; responsio enim est, esse certam humano modo, et quantum in Ecclesiae foro et iudicio esse potest, et hoc satis esse ad pacandos hominum animos et conscientias, et ad satisfaciendum Ecclesiae, quæ, quia non iudicat de occultis, de veritate sacramenti ex sola veritate materiæ et formæ iudicat, nam intentionem semper supponit, quamdiu contrarium exterius non constat, ut colligitur ex cap. A quodam, de Consecra., d. 2, et aliis. Fateor quidem, non omnino adimi scrupulum, si rigorose verba litteræ perpendenda sint et explicanda; tamen necesse est, hunc rigorem lenire, quia non est verisimile D. Thom. in tam brevi contextu sibi esse contrarium.

5. In solut. ad tertium, ubi D. Thomas ait sufficere ad conficiendum sacramentum habitualement intentionem ministri, debere tamen sacerdotem curare, ut actualem intentionem habeat, recte Cajetanus explicat D. Thomæ mentem, quoad utramque partem. Nam in priori per intentionem habitualement virtualis intelligitur, quæ, quia non est in actu, habitualement interdum vocatur; non tamen satis est, ut quomodocumque in habitu retineatur, sed necesse est, ut aliquo modo influat et moveat ad externum actum; et hoc est, quod statim D. Thomas subiungit: *Ex virtute primæ intentionis conficitur sacramentum.* Quomodo

autem hoc fiat, in disputatione sequenti explicabimus. In posteriori autem parte, ait Cajetanus actualem intentionem non esse intelligendam in actu signato. Quia nec necessarium est, nec expedit, ut sacerdos, verbi gratia, dum consecrat, hunc actum interius repetat: Ego intendo conficere; sed melius est, ut de ipso mysterio a se conficiendo cogitet, quam vocavit Cajetanus actualem intentionem in actu exercito, et est potius attentio quædam ad res sacras peragendas, cum qua est conjuncta voluntas perficiendi eadem mysteria, quamvis necesse non sit hanc semper actu exerceri, neque nimiam diligentiam ad hoc exhiberi.

ARTICULUS IX.

Utrum fides ministri sit de necessitate sacramenti (4, dist. 6, quæst. 1, art. 3, quæst. 2).

1. *Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod fides ministri sit de necessitate sacramenti. Sicut enim dictum est (art. præc.), intentio ministri est necessaria ad sacramenti perfectionem. Sed fides intentionem dirigit, ut Augustinus dicit contra Julianum (id habet in præf. Ps. 31, parum ante med.). Ergo si desit vera fides in ministro, non perficitur sacramentum.*

2. *Præterea, si minister Ecclesiae veram fidem non habeat, videtur esse hæreticus. Sed hæretici, ut videtur, non possunt sacramenta conferre. Dicit enim Cyprianus contra hæreticos (lib. 1, epist. 42, non remote a fin.): Omnia quæcumque faciunt hæretici, carnalia sunt et inania et falsa, ita ut nihil eorum quæ illi gesserint, a nobis probari debeat. Et Leo Pap. dicit in epist. ad Leonem August. (epist. 75, quæ incipit, Litteras clementiæ tuæ, a medio): Manifestum est per crudelissimam et insanissimam vesaniam, in Alexandrina sede omne caelestium sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificii oblatio, defecit Chrismatis sanctificatio et paricidalibus manibus impiorum, omnia se subtraxere mysteria. Ergo vera fides ministri est de necessitate sacramenti.*

3. *Præterea, illi qui non habent veram fidem videntur esse per excommunicationem ab Ecclesia separati. Dicitur enim in 2 Canonica Joan.: Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec Ave dixeritis ei; et ad Titum 3: Hæreticum hominem post primam et secundam*

correctionem devita. Sed excommunicatus non videtur posse conferre Ecclesiae sacramentum, cum ab Ecclesia sit separatus, ad cuius ministerium pertinet sacramentorum dispensatio. Ergo videtur, quod vera fides ministri sit de necessitate sacramenti.

Sed contra est, quod Augustinus dicit contra Petilianum Donatistam (lib. 1, cap. 47, circa fin., tom. 7): Mementote, sacramentis Dei nihil obesse morales malorum hominum, quod illi vel non sint vel minus sancti sint.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est (art. 5 hujus quæst., et q. 62, art. 1 et 2), quia minister in sacramentis instrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi. Sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis charitas, ita et fides. Unde sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti, quod minister sit in charitate, sed possunt etiam peccatores sacramenta conferre, ut supra dictum est (art. 5 et 6 hujus quæst.), ita non requiritur ad perfectionem sacramenti fides ejus, sed infidelis potest verum sacramentum præbere, dummodo cætera adsint, quæ sunt de necessitate sacramenti.

Ad 1 ergo dicendum, quod potest contingere, quod aliquis patiatum defectum fidei circa aliquid, et non circa veritatem sacramenti quod exhibet, puta, si aliquis credat juramentum esse in omni casu illicitum, et tamen credat baptismum efficaciam habere ad salutem, et sic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi sacramentum. Si vero patiatum fidei defectum circa ipsum sacramentum quod exhibet, licet credat, per id, quod agitur exterius, nullum sequi interiore effectum, non tamen ignorat, quod Ecclesia catholica intendit, per hujusmodi quæ exterius aguntur, præbere sacramentum. Unde non obstante infidelitate, potest intendere et facere id, quod facit Ecclesia, licet æstimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum, quia sicut supra dictum est (art. 8 hujus quæst.) minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, ex cuius fide suppletur id, quod deest fidei ministri.

Ad 2, dicendum, quod hæreticorum quidam in collatione sacramentorum formam Ecclesiae non servant, et tales neque sacramentum conferunt, neque rem sacramenti. Quidam vero servant Ecclesiae formam, et tales conferunt quidem sacramentum, sed non conferunt rem sacramenti. Et hoc dico, si sunt manifeste ab Ecclesiae præcisi, quia ex hoc ipso, quod ali-

quis accipit sacramenta ab eis, peccat, et per hoc impeditur, ne effectum sacramenti consequatur. Unde Augustinus dicit in lib. de Fide ad Petrum (cap. 36, usque ad med., tom. 9): Firmissime tene, et nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, baptismo cumulari perniciem. Et per hunc modum dicit Leo P. (epist. 75, a medio illius), in sede Alexandrina omne sacramentorum lumen esse extinctum, scilicet, quantum ad rem sacramenti, non autem quantum ad ipsum sacramentum. Cyprianus autem nullo modo sacramentum conferre hæreticos posse credebat, sed in hoc ejus sententia non tenetur. Unde Augustinus dicit: Martyrem Cyprianum, qui apud hæreticos, vel schismaticos datum baptismum nolebat cognoscere, tanta merita usque ad triumphum martyrii secuta sunt, ut charitatis, qua exercebat, luce obumbratio illa fugaretur, et si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur (ex epist. 48, ante finem, habetur tom. 2, expressius lib. 1 contra Dona., c. 18, tom. 7, et in fine lib. 2 contra Cres., tom. 7).

Ad tertium dicendum, quod potestas ministrandi sacramenta pertinet ad spiritualem characterem, qui indelebilis est, ut ex supra dictis patet (quæst. præced., art. 5). Et ideo per hoc, quod aliquis ab Ecclesia suspenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi sacramentum, sed licentiam utendi hac potestate. Et ideo sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo, et similiter ille, qui ab eo accipit sacramentum. Et sic non percipit rem sacramenti, nisi forte per ignorantiam excusetur.

Doctrina hujus articuli comprehensa est sub generali doctrina data in art. 5, et ideo non indiget nova explicatione. Nam quod a D. Thoma dicitur in solutione ad secundum, hæreticum posse dare sacramentum, non tamen rem seu effectum sacramenti, intelligendum est, non ex defectu potestatis ipsius ministri, sed ratione obicis ex parte suscipientis, quia peccat suscipiendo sacramentum a tali ministro. Et hoc explicuit D. Thomas, in solutione ad 3, dicens de hujusmodi suscipiente: *Et sic non percipit rem sacramenti, nisi forte per ignorantiam excusetur;* sub qua exceptione intelligi debet omnis alia ratio excusationis, quæ intercedere potest. Nam eadem est omnium ratio. Atque intelligitur, totum

hoc impedimentum oriri ex obice peccati, nam si illud excusetur, sacramentum non privabitur suo effectu, propterea quod ab hæretico ministretur, ut latius postea dicemus.

ARTICULUS X.

Utrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti (infra, quæst. 74, art. 2, ad 2; et 4, d. 6, quæst. 1, art. 2, quæst. 2, et d. 11, quæst. 2, art. 1, quæst. 3, ad 1, et d. 10, quæst. 1, art. 3, ad 3).

1. Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti. Intentio enim ministri debet conformari intentioni Ecclesiæ, ut ex dictis patet. Sed intentio Ecclesiæ semper est recta. Ergo de necessitate ad sacramenti perfectionem requiritur intentio recta ministri.

2. Præterea, perversa intentio deterior esse videtur, quam intentio jocosa. Sed intentio jocosa tollit sacramentum, puta, si aliquis non serio, sed ludo aliquem baptizaret. Ergo multo magis perversa intentio aufert sacramentum, puta, si aliquis aliquem baptizaret, ut postmodum eum occideret.

3. Præterea, perversa intentio facit totum vitiosum, secundum illud Luc. 12: Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit. Sed sacramenta Christi non possunt inquinari per malos homines, sicut Augustinus dicit contra Petil. (lib. 2, cap. 47, et lib. 3 cont. Cresc., cap. 5, 6, 7, tom. 7). Ergo videtur, quod si sit perversa intentio ministri, non sit ibi verum sacramentum.

Sed contra est, quod perversa intentio pertinet ad malitiam ministri; sed malitia ministri non tollit sacramentum. Ergo nec perversa intentio.

Respondeo dicendum, quod intentio ministri potest perverti dupliciter. Uno modo respectu ipsius sacramenti, puta, cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere. Et talis perversitas tollit veritatem sacramenti, præcipue, quando intentionem suam exterius manifestat. Alio modo potest perverti intentio ministri, quantum ad id quod sequitur sacramentum, puta, si sacerdos intendat aliquam feminam baptizare, ut abutatur ea, vel si intendat conficere corpus Christi, ut eo ad veneficia utatur. Et quia prius non dependet a posteriori, inde est, quod

talis intentionis perversitas veritatem sacramenti non tollit, sed minister ex tali intentione graviter peccat.

Ad primum ergo dicendum, quod Ecclesiæ intentio recta est, et quantum ad sacramenti perfectionem et quantum ad sacramenti usum, sed prima rectitudo perficit sacramentum, secunda operatur ad meritum. Et ideo minister, qui conformat intentionem suam Ecclesiæ, quantum ad primam rectitudinem, non autem quantum ad secundam, perficit quidem sacramentum, sed non est sibi ad meritum.

Ad 2, dicendum, quod intentio ludicra, vel jocosa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur sacramentum, et ideo non est similis ratio.

Ad 3, dicendum, quod perversa intentio pervertit opus intendentis, non autem opus alterius. Et ideo ex perversa intentione ministri pervertitur, id quod agit in sacramentis, in quantum est opus ejus, non in quantum est opus Christi, cujus est minister. Et est simile, si minister alicujus hominis, prava intentione deferret pauperibus elemosynam, quam dominus recta intentione mandaret.

Littera hujus articuli clarissima est, doctrina vero ejus comprehensa est in illa, quæ art. 5 et 8 est tradita.

DISPUTATIO XIII.

DE CAUSA PROXIME MINISTRANTE SACRAMENTA.

In hac disputatione explicanda sunt omnia, quæ ex parte ministri necessaria sunt ad veritatem sacramenti; unde primo dicemus de persona, deinde de actibus, quos adhibere debet ad sacramentum perficiendum, ut factum teneat, et excludemus alias conditiones, quæ simpliciter necessariae non sunt. De his vero, quæ ad digne ministrandum sacramentum servari debent, commodius dicemus inferius in moralibus disputationibus.

SECTIO I.

Utrum omnes et soli homines possint esse sacramentorum ministri.

1. Ille verus sacramenti minister est, quem Christus esse voluit. — Principio statuenda est generalis regula in commentariis

articulorum indicata, quæ est basis et fundamentum omnium, quæ dicenda sunt, scilicet illum esse sufficientem ac necessarium ministrum ad sacramentum conficiendum, quem Christus sua institutione designavit. Probat, quia, ut Concil. Florent. docuit, sacramenta tribus perficiuntur, materia, forma et ministro; ergo necesse est, ut qui sacramentum instituit, hæc tria statuatur atque designet, quæ sunt de necessitate sacramenti. Quia institutio sacramenti hæc omnia includit; ergo sicut in unoquoque sacramento, quæ sit materia vel forma sufficiens aut necessaria, ex Christi institutione petitur, ita de ministro ratiocinandum est. Et confirmatur, nam hæc ratione sacramentorum ministri dicuntur operari, ut instrumenta et organa, quæ vicem Christi gerunt, non solum respectu effectus sacramenti, sed in ipsomet sacramento conferendo. Ita sumitur ex Augustino, tract. 5 et 6 in Joan., ubi ponderat verbum illud: *Hic est, qui baptizat*, id est, Christus. Quia licet Petrus baptizet, tamen id facit ut minister a Christo deputatus; idem, lib. 3 contra Cresconi., c. 8, ubi adducit illud 1 ad Cor. 9: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*; et lib. 4 contra litter. Petilian., c. 7, comparat ministrum sacramenti cum ministro Evangelii, quatenus uterque operatur ut legatus Christi. Addit vero, lib. 5 de Baptismo, c. 14, consideratione dignum esse, Paulum interdum vocare Evangelium suum, nunquam tamen appellasse baptismum suum, quia licet in utroque munere sit homo minister Christi, specialiori tamen modo in collatione sacramenti, quam in fidei prædicatione. Nam in hac potest homo aliquid de suo ponere, aut in modo, aut in doctrinæ expositione, aut in similibus; tamen in sacramento tradendo, totum, quod ad substantiam pertinet, fit ex institutione et virtute Christi. De qua re plura legi possunt apud eundem Augustinum, lib. 3 contra litter. Petil., c. 8, 49 et 55, et aliis lib. contra Donatistas. Ultimo adjungi potest ratio, quia conficere sacramentum est opus supernaturale, nam est conficere signum efficax gratiæ; sed nulla creatura ex se habet hanc potestatem; ergo oportet ut illam recipiat ex divina institutione.

2. Soli homines sacramentorum ministri sunt. — Hoc posito, dico primo: soli homines sunt sufficientes ministri sacramentorum. Hæc est mens D. Thomæ hic, art. 7, atque idem docet Alex. Alens., 4 par., quæst. 16, memb.

4; Gabr., d. 6, q. 4; Soto., d. 4, q. 5, art. 4, et reliqui. Probat, primo ex Christi institutione in singulis sacramentis; nam solis hominibus dixit, Matth. ult.: *Baptizantes eos*; et Luc. 22: *Hoc facite*; et Joan. 26: *Quorum remisistis peccata*; et Jacob. similiter dicitur: *Vocet presbyteros Ecclesiæ*; et Act. 8, Apostoli mittuntur ad confirmandos eos, qui fuerant in Samaria ad fidem conversi. Denique ad Ephes. 5, inquit Paulus de Christo: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*; et postea subjungit: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*. Totum ergo hoc ministerium commissum est hominibus; de quibus propterea dicitur 1 ad Cor. 4: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*. Secundo, afferri possunt congruentiæ hujus institutionis. Prima, quia præcipui ministri sacramentorum, et qui ex officio ad hoc constituuntur, sunt sacerdotes; sacerdos autem (ait Paulus ad Hebr. 5) oportet, ut sit ex hominibus assumptus, ut pro hominibus constituatur in his, quæ sunt ad Deum. Quam congruentiam attigit D. Thomas in art. 5, et optime illam confirmat, quia summus Pontifex Christus, qui est præcipuus auctor sacramentorum, est verus homo; et ideo expedit, ut ministri sint illi in natura conformes. Secunda adjungi potest, quia illi, quibus ministranda sunt sacramenta, sunt soli homines; ergo, ut servetur proportio, oportet ut ministri etiam sacramentorum sint homines. Tertio, fuit hoc Ecclesiæ conveniens; nam cum humana et visibilis sit, debuit per humanos ac sensibiles ministros gubernari; ergo etiam oportuit ut ab eisdem sacramenta ministrarentur; ergo angelici spiritus non erant ad hoc ministerium accommodati. De inferioribus vero creaturis nihil dicere oportet, quia cum ratione careant, omnino sunt hujus ministerii incapaces. Quarto, addit Cajetanus fuisse conveniens ut sacramenta constarent verbis; soli autem homines possunt propria verba proferre; nam licet Angeli in corporibus assumptis possint efficere sonum verbis similem, non tamen possunt veram locutionem efficere, ut docuit D. Thomas, 4 par., quæst. 54, art. 3, ad 4. Dices, ille sonus in ipsa motione, vel qualitate, vel signo sensibili, nihil differt a propria locu-